usque in finem. Ecce arbor sapientie nostre per quindecim gradus usque ad summum incrementum peruenit. Hic autem numerus magni misterij constitutus est. Primum quia ex septem et octo componitur. Septenarius vero presentem vitam que septem diebus currit signat. Octonarius autem nonum qui post septem venit eternam vitam significat. Restat ergo per septem et octo sapientia per septem incipiat et per octo ad consummacionem pertingat. Et satis claret quod septenarius ad requiem pertinet. Hinc audiuimus quod septima die requieuit dominus ab omni quod patrarat. Rursum per prophetam promittit deus suis dilectoribus sabbatum pro sabbato et mensem pro mense, hoc est requiem pro requie, perfectionem pro perfectione. Pro requie mentis requiem mentis et corporis. Pro perfectione operis perfectionem retribucionis. Prima ergo requies per nostrum sabbatum nobis esse debet in presenti vita cessare a malo, ut secundum sabbatum adipisci mereamur, ut eternum requiescamus cum xpo. ~~Quod nobis concedat qui sine fine viuit et regnat deus per omnia secula seculorum amen.~~

**Incipiunt dicta ex omelijs beati Cesarij**

Ex omel. 2a

~~Excerpta illa extracta sunt ex omel. beati Cesarij~~

Quilibet homo debet religiose viuere

Dubium quippe non est quod illa anima que per totam pistecia secularium voluptatum possessio efficitur mundane conuersacionis non possit effici regnum diuinitatis. Ideoque fratres videte vocacionem vestram. Venire quidem ad heremum summa perfectio est, sed non perfecte in heremo viuere summa dampnacio est. Quid prodest si locus quietus tantum corporalis teneatur et inquietudo in corde versetur.

[...] xpi. et per hoc anima peccatrice que fuerat inimica dei, prostibulum dyaboli et serua peccati, facta sponsa xpi, templum spiritus sancti et filia patris eterni. Quod totum fit per gratuitam et condescensiuam efficienciam dei gratuitam. Hec ille. Celum enim agit in inferiora per suum motum. Patet per experienciam. Videmus enim quod sol per eius accessum ad nos et per recessum suum a nobis est causa generacionis et corrupcionis illorum que sunt in isto mundo inferiori. Quando enim sol accedit ad nos, sicut in vere, incipiunt arbores florere et generantur de nouo multi fructus. Et per recessum eius a nobis sicut in autumpno tunc econuerso iterum tendunt ad corrupcionem. Unde Aristoteles in 2o de generacione: motus solis in obliquo circulo est causa generacionis et corrupcionis istorum inferiorum. Et iterum in 2o Phisicorum: Homo generat hominem et sol. Per motum celi possumus intelligere operacionem gracie dei que est in celis, que omnia operatur in istis inferioribus, hoc est in hominibus in terris existentibus. Unde Augustinus: Gracia est titulus victorie, dispositio perfectus, robur perseuerancie, et in regis vnica et singularis causa. Unde gracia est huiusmodi faciens hominem cognoscere